



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 39. Quomodo aliquis disponi possit ad perfectum amorem Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

excuset defectus perfectæ advertentiæ vel ad obligationem vel ad malitiam omiffionis, vel etiam ad bonitatem finis ultimi: notatque rectè *Petsch*: in app: qq: select: q. 11. §. 2., per instans usis rationis, quo tenemur diligere Deum, non intelligi aliquod instans physicum indivisibile, sed totam illam durationem, quâ homo indiget ad discernendum inter bonum & malum, & ad deliberandum quodnam ex illis sit amplectendum.

§. 2. Ex eadem damnatione colligitur, etiam 145 obligationem esse aliquando amandi finem ultimum per decursum vitæ, uti rectè probat *Mendo* supra q. 13., probabilius enim videtur, quòd illa quarta pars damnetur distributivè, ita ut non tantum vera sit hæc contradictoria, *amari debet finis ultimus vel in principio vel in decursu vitæ*, sed etiam illa contraria, *amari debet finis ultimus, & in principio & in decursu vitæ*, hoc enim censerì debet voluisse declarare Pontifex, quod aliunde certum erat ex Fide vel damnatione aliarum propositionum, sic autem erat certum nos teneri & in principio & in decursu vitæ tendere ad finem ultimum, ergo censerì debet voluisse hoc declarare Pontifex.

Q. 39. Quomodo aliquis disponi possit ad perfectum amorem Dei. R. Proponendo seqq: 146

§. 1. Amare nihil aliud est, quàm voluntate ferri in aliquod bonum, vel desiderando illud, vel de illo gaudendo, vel sibi complacendo in illo &c. Quòd si ferar in illud bonum, quia mihi amanti bonum est, dicitur amor concupiscentiæ; si autem ferar in illud, quia personæ amatæ bonum est, dicitur amor amicitæ aut benevolentiæ.

H

§. 2.

147 §. 2. Tum amo Deum amore concupiscentiæ, si ideo amem, quia Deus mihi bonus est, v. g. quia me creavit, redemit, sanctificavit, conservat, quia mihi remisit peccata, tot gratias & beneficia contulit, universalia & particularia, quia vult mihi dare beatitudinem æternam: Tum amo Deum amore amicitiaë seu benevolentiaë, si ideo amem eique velim omne bonum, quia hoc Deo ipsi bonum est. Amor concupiscentiaë est imperfectus, licet sit bonus, possitque esse supernaturalis; amor autem amicitiaë est amor perfectus, de quo explicando nunc laboramus.

148 §. 3. Bona Dei alia sunt intrinseca, alia extrinseca: Intrinseca, sunt infinita perfectiones, quas in se habet, uti Sapiencia, Justitia, Misericordia, Æternitas, Immensitas, Omnipotentia, Pulchritudo, Bonitas, Incomprehensibilitas &c: Extrinseca sunt, quæ à creaturis fieri possunt & placent Deo, nempe quòd agnoscatur, sicuti in se est perfectissimus, quòd ametur, sicuti in se est optimus, quòd colatur, laudetur, honoretur, sicuti in se est præcellentissimus: itaque tum amabo Deum perfectè, si Deo velim ista bona, ideo, quia Deo bona sunt; si faveam illi suam infinitam Sapienciam, si gratuler de infinita potentia, si gaudeam de ipsius pulchritudine, si complaceam mihi in ejus incomprehensibilitate, si optem, ut agnoscatur, ametur, colatur ab omnibus, quia hoc ipsi placet & propter se dignus est; si orem, & quantum in me est, impediam, ne offendatur, quia ipse propter infinitam bonitatem suam, id est, propter infinitas illas perfectiones, quas habet, dignissimus est non offendi, sed super omnia amari, coli, honorari.

149 §. 4. Cùm amor sequatur æstimationem boni,
ad

ad concipiendum perfectum Dei amorem juva-
bit magnam de Deo ideam sibi formare, & quid
in se sit Deus, agnoscere ac considerare, tum ex
lumine naturæ tum ex doctrina fidei: Deus *Pla-*
toni est Genitor Universitatis, Auctor maximus,
supra omnem substantiam, plenæ perfectionis,
summum bonum: *Aristoreli*, Ens entium: *Seneca*,
summa & pulcherrima omnium natura: *Ci-*
ceroni, præstantissima mens. *Alcinoi*, se ipso per-
fectus, semper perfectus, omni ex parte perfe-
ctus; *Trismegisto* Deus est circulus, cujus centrum
ubique, circumferentia nusquam: *Platonicis*,
ipsum bonum, ipsum pulchrum: *Aegyptiis*, in-
cognita caligo, ter tenebræ: *S. Dionysio*, ipsum
esse: *S. Augustino*, sine qualitate bonus, sine quan-
titate magnus, sine indigentia Creator, sine situ
præsens, sine habitu omnia continens, sine loco
ubique totus, sine tempore sempiternus, sine ulla
sui mutatione mutabilia omnia faciens. *S. Tho:*,
Universaliter ens perfectum, cui non deest ali-
cujus generis nobilitas; actus purus: *S. Clementi*
Alexandrino, Unus omnia, in quo omnia, per
quem omnia: *S. Bernardo*, quidquid cogitas, ul-
trà non citrà quærendum est: *S. Damiano*, cujus
ineffabile est nomen & incomprehensibile: *La-*
stantio, æterna Mens ex omni parte perfectæ con-
summataque virtutis: *Cassiodoro*, Virtus inexpli-
cabilis, Pietas incomprehensibilis, Sapientia in-
effabilis; cujus definitio est finem in Sanctorum
laudibus non habere. *Ecclesiæ Catholicæ*, Rex tre-
mendæ Majestatis, solus Sanctus, solus Dominus,
solus Altissimus: *Scripturæ Sacræ*, Alpha & Omega,
Est qui est, Deus Sabaoth, Dominus Exercituum,
Deus Deorum Dominus, Dominus Dominanti-

um, Dominator Dominus, magnus Dominus & laudabilis nimis, Dominus virtutum, Dominus excelsus, magnificus, terribilis, Rex Regum, Rex magnus super omnem terram, cujus magnitudinis infinita est multitudo, cujus magnitudinis non est numerus neque finis: O Majestas! ô perfectio! ô bonitas! ô Pulchritudo! ô Deus omnia! *S. Michael* adhuc præterdit scutum & exclamat, *Quis ut Deus?* huic Deo si faves & gratularis eas perfectiones, si in eis tibi complaces, si gaudes, quia ipsi bonæ sunt, & ipse sibi in eis complacet, amas Deum perfectè.

150 §. 5. Etiam ex creaturis æstimari potest & amari Deus, nam in primis quidquid tibi occurrit in natura honestum, pulchrum, jucundum, optabile, hoc totum à Deo & in Deo est, necessariò, independenter, æternaliter, indefectibiliter. Quidquid cogitari potest æstimabilitatis, dignitatis, excellentiæ, magnificentiæ, majestatis, amabilitatis, totum in Deo est sine admixtione ullius imperfectionis. Omnia ad nutum ejus stant aut feruntur, Terra, Elementa, Cælorum orbis, Stellæ, Sol, Luna; ipsi subsunt omnes Monarchæ terræ; ipsi submittunt se Angelorum Chori, velantes facies & incessanter acclamantes, Sanctus, Sanctus, Sanctus: Quod omnium maximum est, homo-Deus infinitæ Dei majestati se per profundissimam adorationem submittit: si hæc antas Deo, de eis gaudes, hæc gratularis, quia Deo bona sunt &c.; amas Deum perfectè.

151 §. 6. Etiam sic excitari potest in Deum amor: Considera, quid ames; fortè istum hominem, quia sincerus est; illum, quia beneficus; alium, quia

quia justus ; alium, quia prudens, discretus, circumspectus ; alium , quia vir pius est & Sanctus &c. ; Amas Virtutem, quia honesta ; Cibum, quia suavis ; Potum, quia delectat ; Opes, quia utiles ; florem, quia pulcher &c. ; hæc omnia à Deo & in Deo sunt modo infinities perfectiore.

§. 7. Ut amor Dei sit perfectus, debet voluntas serió & efficaciter sic esse constituta, ut quamvis nec cœlum esset nec infernus, nec præmium ullum sperandum, nec pœna ulla timenda à Deo, tamen amaretur Deus propter se, quia in se est summè bonus. Notandum tamen est, quòd hic amor perfectus non excludat imperfectum, sed ab hoc incipiat, & ab eodem communiter adjuvetur ; hinc modus ille eliciendi amorem, non amo te, ó Deus ! quia me creásti, quia vis mihi cœlum dare, sed purè ideo, quia es propter te infinitè dignus amari, ordinariè non est suadendus, sed potius sic elici debet, amo te, ó Deus ! quia me creásti, quia vis cœlum dare ; sed magis ideo, quia ipse propter te es omninò amore dignissimus, ita ut licet non benefaceres, nec cœlum dares, tamen amarem te & amo, quia propter infinitam tuam bonitatem es amabilissimus : Et ideo etiam Innoc. XII die 12 Martij 1699: inter propositiones Archiep: Cameracensis, per quas videbatur spes excludi à perfecto amore, damnavit etiam sequentes, 1: Datur habitualis status amoris Dei, qui est Charitas pura & sine ulla admixtione motivi proprii interesse : neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem : non amatur amplius Deus propter meritum neque propter perfectionem neque propter felicitatem in eo amando inveniendam. 2: In statu vitæ contemplativæ sive

unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris
& spei; &c:

153 Q. 40. Quomodo practicè elici possit actus Charitatis in Deum. R. Præire debent Fides & spes, ac convenientissimè subjicitur Contritio, hoc aut simili modo:

Fides.

Omnia, mi Deus! quæcunque per Ecclesiam Unam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam proponis credenda, firmissimè credo, quia tu dixisti, qui es infinitè sapiens, Verax & perfectus. Credo te esse, qui gubernas omnia, te esse supernaturalem Remuneratorem bonorum & Punitorem malorum, Animas esse immortales, Gratiam esse necessariam ad salutem, Te esse Unum in essentia & Trinum in Personis, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, Secundam Personam esse pro nobis factam hominem & passam, Christi gratiam nobis conferri per Sacramenta, & propter ejus merita nobis promissam esse æternam beatitudinem à te Deo fidelissimo, potentissimo & misericordissimo dandam: Credo te in te ipso propter infinitas tuas perfectiones esse Deum amabilissimum, Finem ultimum rerum omnium, dignissimum non offendi sed semper amari & honorari: hæc cæteraque omnia credo, mi Deus, quia tu dixisti, qui es infinita Veritas, non potens falli nec fallere, non potens errare aut mentiri. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.

Spes.